



**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. II. Quibus competit facultas uniendi beneficia? Et ex quibus causis ea  
uniri possint?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](#)

siciet tempus 40. Annorum. per cap. 4. de *Præscript.* secùs tempus immemoriale per cap. 1. de *Præscript.* in 6. cùm allegans jus commune sibi in contrarium habeat. Nam de jure communi quælibet Ecclesia suum proprium, & distinctionem Rectorem habere debet. per c. 15. de *Præbend.* III. Etiam probatur unio ex instrumentis antiquis, quia verba enuntiativa in ejusmodi instrumentis habent vim *fame*, quæ in antiquis plenè probat. IV. Eo casu, quo quis petit separationem beneficiorum, concludenter probatur unio per confessionem ejus, qui petit separationem. Sicut, qui petit *divortium*, fatetur *Matrimonium*. Cæterùm si dubitetur, an unio

Beneficiorum accessoriè, vel æque principaliter facta sit, juxta suprà allegatos Authores, hoc dubium taliter submoveti, & resolvi potest. Si unum beneficium evidenter appareat dignius altero, aut si ex antiquis, iisque authenticis scripturis constet, alterutrum fuisse principale denominatum, unio præsumitur fuisse accessoriè facta. Item ex residentia in altero, & ex fama id conjici potest, ubi vero non appareat alterum altero esse dignius, nec consuetudo, aut antedicta conjecturæ alterius præ altero eminentiam manifestantur, utrumque beneficium æque principaliiter fuisse unitum præsumendum est. Ita dd. AA.

## §. II.

*Quibus competat facultas uniendi beneficia? Et ex quibus causis ea uniri possint?*

### S U M M A R I A.

- 45. *Unire posse beneficia S. Pontificem, extra dubium est.* 46. *Quam potestatem etiam in Episcopo agnoscimus, limitate tamen, ut ne reservata S. Pontifici uniat,*
- 47. *Item in Legato à latere.* 48. *Duae oppositiones annibilantur.* 49. *Non etiam hæc facultas competit aliis Prelatis inferioribus.* 50. *Ut unio beneficiorum subsistat, causa vel necessitatis, vel utilitatis adesse debet, & que illa?*
- 51. *Item vocandi quoque sunt illi, quorum interest.* 52. *Debet insuper accedere consensus Capituli.* 53. *Unionem rursus dissolvere possunt illi, qui univerunt.*

45. **A**N S. Pontifex possit unire beneficia, frustrà quæsieris, habet enim is plenariam in omnibus beneficiis majoribus, & inferioribus disponendi facultatem per eap. 2. de *Præbend.* in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente Eccl. præprimis autem potestas uniendi Episcopatus privativè competit Papa. cap. 8. de *Excess. Prælat.* cap. 47.

C. 16. Q. 1. Num vero facultas uniendi beneficia inferiora ecompetat Episcopis, Legatis, Capitulis Eccl. de hoc dubitari potest.

Dico igitur I. Episcopus, spectato 46 jure communi, potest ex rationabilibus causis, aliisque requisitis concurrentibus, unire beneficia suæ Dioecesis, modo illa non sint exempta, aut S. Pontifici

fici specialiter reservata. per cap. 8. de Excess. Prælat. cap. 33. de Præbend. Clement. 2. de rebus Eccles. non alienand. Ratio est, quod ad Episcopum omnis cura beneficiorum intra Diœcesin suam sitorum spectet. cap. 12. de Præscript. limitavi tamen, modo beneficia non sint exempta, aut S. Pontifici specialiter reservata. Quia in beneficiis exemptis Episcopus nullam habet jurisdictionem. Barbos. part. 3. de Offic. Episc. allegat. 66. num. 9. & in specialiter reservatis Pontifici, hoc est, in iis, quorum collationem non modo quoad Titulum, sed etiam ad quacunque aliam dispositionem sibi Pontifex retinere voluit, quia *ly dispositio* est verbum generale, complectens omnem disponendi modum; adeoque etiam illum, qui fit per unionem. Barbos. cit. allegat. num. 7. P. Reiffenstuel b.t. num. 57. si autem Papa sibi generaliter beneficia reservavit, vel specialiter quidem, sed tantum quoad collationem, hæc reservatio operatur effectum duntaxat suspensivum. hoc est, si Papa certum beneficium reservavit Titio, poterit quidem Episcopus tale beneficium unire, sed effectus hujus unionis eousque manebit suspensus, donec Titius moriatur, aut alio modo beneficium dimittat. Panormit. ad cit. cap. 8. de Excess. Prælat. num. 7. Magnif. P. König b.t. num. 5. Confer Concil. Trid. Seff. 23. cap. 18. Seff. 24. cap. 15. & Seff. 21. de Reformat. cap. 5. Castropalao cit. tract. 13. punc. 12. §. 2. num. 3.

<sup>47</sup> Dico II. Legatus à latere, cùm posset in Provincia legationis, quæ Episcopus in sua Diœcesi, etiam poterit unire beneficia in Provincia sua legationis æque, ac Episcopus in sua Diœcesi.

Panormit. in d. cap. 8. de Excess. Prælat. num. 5. Caccialupus de Unionibus art. 3. dummodo in aliis juribus, v.g. visitandi, procurandi, corrigendi &c. Episcopo non præjudicet, per cap. ult. de confirm. Util. de quibus solis, non verò de jure conferendi d. cap. intelligendum esse, notat Azor. cit. lib. 6. cap. 28. q. 8.

Huic Assertioni videtur obstare,<sup>48</sup> quod Legatus à latere juri communi derogare nequeat; unione autem beneficiorum sit aliqua vis juri communi, utpote, quod vult, ut cuilibet Ecclesia suus proprius Rector constituatur. cap. 3. de Cleric. non resident. Deinde potestas Legati à latere, quanquam ampla sit, juribus tamen Episcopi præjudicare non potest. cap. ult. de Relig. domib. cap. ult. de confirm. Util. At verò, si beneficia unire posset, præjudicaret juribus Episcopalibus, siquidem privaret Episcopum aliqua provisione beneficiorum in perpetuum.

Hæ tamen oppositiones conclusio nem positam non concutiunt. Non prima; negatur enim, unionem esse contra jus commune, quin potius à jure imperari, supposito, quod causa necessitatis, vel utilitatis unionem fieri exposcat. Neque etiam per hoc quidquam juri communī adversum sit, quod unus tantum Rector duorum beneficiorum constituatur, siquidem non amplius duo sunt beneficia, facta semel unione. Ad alterum dicimus, per unionem factam à legato à latere tam parum derogari authoritati Episcopali, quam parum ei derogatur, per collationem beneficii à legato factam, quod jus ei in Provincia sua circa omnia beneficia competit. per cap. 1. & 3. de Offic. Legat. in 6.

Di-

49 Dico III. Prælati inferiores, jurisdictionem quasi Episcopalem non habentes, unionem facere non possunt, authoritate ordinaria, poterunt tamen authoritate speciali, legitimæ præscriptionis, consuetudinis, aut privilegii. Panormit. ad d. cap. 8. de Excess. Prælat. num. 3. Azor. d. cap. 28. quest. 11.

50 Quod verò prædicta Beneficiorum unio per Episcopos legitimè fiat, causa evidentis necessitatis, vel utilitatis adsit oportet. cap. 33. de Præbend. cap. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. qualis censetur, dum præbenda, cui unio facienda est, non habet sufficietes redditus, ita ut propter eorum tenuitatem non reperiantur, qui velint eam acceptare. dict. cap. 33. & Concil. Trident. Sess. 21. cap. 1. aut, si Ecclesia sit devasta ab hostibus, vel desolata. cap. 47. C. 16. Q. 1. cap. 2. de Relig. Domib. vel ob populi detrimentum. cap. 3. & ult. de Eccles. edific. vel, quando Ecclesiæ duæ sunt vicinæ, & pauperes, quæ ad sustentationem duorum non sufficiant. cap. 3. C. 10. Q. 3. Clem. 1. s. ad hæc de Stat. Monach. Causa utilitatis censetur adesse, si idonei Rectores, nisi unio fieret, non reperirentur, qui ipsum beneficium administrarent. Panormitan. ad cap. 33. de Præbend. num. 4. ubi etiam num. seq. notat, solam prærogativam personarum, et si sufficere possit, ad dispensandum in pluralitate beneficiorum, non tamen esse causam sufficiensem, unionis facienda, ex qua beneficio accessoriè uniendo perpetuum præjudicium inferretur, cum in ejusmodi unionibus non particularis persona favor attendendus, sed sola Ecclesiæ evidens utilitas, vel necessitas præ oculis habenda sit. Hæc autem causæ non

præsumuntur, sed probari debent, & siquidem sine causa unio facta sit, illa ipso jure nulla est, Clement. 1. de Reb. Eccles. non alien. quia unio est species alienationis, quæ sine causa in rebus Ecclesiæ non permittitur, ut tit. seq. dicetur. Sin verò unio sit facta ex falsa causa, quamvis multi cum Garzia num. 113. doceant, eam esse ipso jure nullam, mihi tamen placet distinctio, quam invenio apud Mascardum de Probat. Conclus. 1420. num. 9. & 10. videlicet, videndum, an unio facta sit à S. Pontifice, num verò ab inferiore Prælato. Si à S. Pontifice, tunc vel facta est motu proprio, vel ad supplicationem partis, falsam causam suggerentis. Si motu proprio, unio valet, si ad suggestionem partis, nulla est unio, quia in rescriptis S. Pontificis illa clausula semper subintelligitur: si preces veritate nitantur. cap. 2. de Rescript. Quodsi unio facta est ab Episcopo, illa non est ipso jure nulla, quia falsa causa etiam in aliis negotiis non impedit dominii translationem, licet detur actio ad repetendum. l. ult. ff. Usufruct. quemadmodum caveatur. quamquam probata falsa causa annulari possit, & ita pluries decidisse Rotam testatur Mascardus l.c. num. 1.

Præter causam legitimam etiam <sup>51</sup> necesse est, vocare eos, quorum interest. d. Clem. 1. s. ad hæc de Stat. Monach. Interest autem eorum, quibus competit jus præsentandi, conferendi, & administrandi, ut Patrono, si is Laius est, & ex foundatione, dotatione, aut constructione jus Patronatus habeat. Azor. d. Quest. 12. collatori Prælato, quibus per unionem præjudicium sit in præsentando, conferendo &c. per c. 20. de

*de Jur. Patron.* Consensus verò Re-  
toris, sive possessoris beneficij unien-  
di non requiritur, cùm illi nullum in-  
feratur præjudicium, utpote unione  
primum post ejus mortem, seu vacatio-  
nem suum sortiente effectum. Clem. 2.  
*de reb. Eccles.* Azor. d. *Quest. 12.*

Dices: per talem unionem saltem  
libertatem permundandi, aut resignandi  
in alterius favorem impediri. Respon-  
deo, hoc præjudicium ex eo non esse  
considerabile, quod tam *permutatio*,  
quàm *resignatio* non sint in arbitrio be-  
neficiati, sed id dependeat à superio-  
rum voluntate, & hi modi comparan-  
di beneficia, cùm sint extraordinarii,  
debent cedere utilitati communi, ob  
quam unio beneficiorum fieri consue-  
vit.

§2 Demum, ut unio beneficiorum sub-  
sistat, adhiberi etiam debet *consensus*  
Capituli, vel Conventus, si Episcopus,  
vel Prælatus alius juxta dicta, unionem  
facere velit. d. Clem. 2. *de Rebus Eccles.*  
non alien. non obstante, quod Concil.  
Trid. *Sess. 21. cap. 5.* Episcopis faculta-  
tem uniendi concedat, tanquam *Sedis*  
*Apostolice delegatis*, quia tamen ibidem  
addit, ut *juxta formam juris* procedant,  
ideò *consensum*, qui de forma jure  
communi exigitur, exposcere debent,  
& ita S. Congregat. Cardin. resolvisse  
refert Garzias num. 158. sufficit tamen  
hunc *consensum* unioni jam factæ ac-  
cedere. Steph. Gratian. *discept. forens.*  
*cap. 278. num. 30.* Boërius *decis. 345.*  
*num. 3. § 4.* Quòd si Capitulum irra-  
tionabiliter contradicat, ad *consensum*  
imperitiendum à Papa compelli, & si  
causa necessitatis notoria fuerit, Epi-

scopus, illo etiam invito, ad unionem fa-  
ciendam progredi poterit. Azor. *tom. 2.*  
*lib. 6. cap. 28. quest. 12.*

Quæres: An iidem, qui possunt sibi  
unire beneficia, etiam possint disunire,  
sive unionem dissolvere? Respondeo  
affirmative. Utrumque enim ad pote-  
statem jurisdictionis spectat. Azor. *cit.*  
*cap. 28. quest. 21.* & præterea omnis  
res per quascunque causas nascitur, per  
eadem dissolvitur. *cap. 1. de R. J.* & ea-  
dem auctoritas, quæ requiritur in con-  
stitutione actus, etiam in illius destruc-  
tione requiritur Clem. 2. *de Elect.* & in  
terminis revocationis unionis est Tex-  
tus in *cap. 8. de Excess. Prælat.* Fagnan.  
in *cap. 1. Ne Sede vacante. n. 36. § seqq.*  
Causæ autem dissolvendi unionem be-  
neficiorum esse possunt, v. g. augmen-  
tum reddituum, si propter tenuitatem  
facta est unio. *cap. 9. de Constit.* Clem. 1.  
§. *adhuc de stat. Monach.* incrementum  
populi, si facta est ob deficientiam, pu-  
tati tempore pestis, belli. *cap. ult. de Pa-*  
*roch.* Et quia in dissolutione unionis  
æque requiritur causæ cognitio, ac in  
conjunctione, illi etiam, quorum in-  
terest, vocandi erunt. Azor. *cit. lib. 6.*  
*quest. 19. in fin.* Effectus hujus disso-  
lutionis est, quod beneficium unitum,  
facta dissolutione, redeat ad statum  
priorem, in quo ante unionem fuit,  
resumatque priores qualitates, quas  
ante unionem habuit. *cap. 1. Ne Sede*  
*vacante. V. Ut unione dissoluta Mon-*  
*sterium vestrum reduceremus in statum*  
*antiquum.* Actus tamen durante unio-  
ne secuti non revocantur per regulam in  
*cap. 73. de R. J. in 6.* Vid. Fagnan. ad  
*cap. 1. Ne Sede vacante. n. 43. § 2. seqq.*

K k

T I -